Et pauca hæc eaque exigua de illustri ac amplissima hac materia delibasse sufficiat, plura, & limatiora annuenti divino Numine commodior occasio suppeditabit.

Anhang

XXXI.

ORATIO DE NEXU STUDII CRITICI CUM PRUDENTIA JURIS PUBLICI,

Pro Loco habita à

JOH. JACOBO MOSER, J. U. Dd. & P. P.

TUBINGÆ,

Anno 1728.

PRÆLOQUIUM *Continet Excusationem Thematis.*

Dicturus modò, Auditores, solenni hac in Panegyri: *de nexu Studii Critici cum prudentiâ Juris publici*, vereor, ne novaturire Vestrorum plurimis, neque Thema frugi, dignumve, quod pro capessendô munere Professoriô deducatur hanc in Chathedram, selegisse videar. Ecquis enim Vestrûm, Auditores, vel fando inter nos audivit hactenus, esse aliquem Critices cum prudentiâ Juris publici nexum, esse aliquem illius in hoc addiscendo poliendove usum? Et quotusquisque est ex Vobis, qui de Arte Criticâ alium sibi formet conceptum, quàm quod sit scientia quædam propria Grammaticis & Verborum Regulis, (a) quibus quid cum Jure Imperii nostri Romano-Germanici publicô ejusve prudentiâ rei sit, non apparet? Liberabitis me verò, Auditores, ita confido, à suspicione novaturiendi criminis, discetisque justum Studio Critico statuere pretium; concipietis verò

(a) Ita in universum Criticos, sed non sine sale nimiô, appellitat GOTTLIEB GERHARD TITIUS im teutschen Lehen-Recht Cap. 3. §. 30. p. m. 75.

ſimul quoque dignum erga Criticaſtros indignationem, quorum ſcilicet ineptiis eò res evaſit, ut in oris literariæ Reipublicæ quamplurimis propter abuſum Critices etiam damnatus fuerit verus atque neceſſarius ejusdem Artis uſus, & ut res ipſa commendata fuerit, debacchatum verò in ſolum artis nomen, at quam innoxium! *(a)* Et hinc illæ lacrymæ! inde eſt, quod ſit tam exoſum paſſim hoc genus hominum, qui ſe appellitant Criticos, quodque tam malé Studioſæ Juventutis ſaluti conſuluiſſe cenſeatur, huic quoque Eruditionis parti litandum, ſuasque hîc & curas horasque & ungues impendendos eſſe ſubinde à bonarum artium cultoribus, dicere qui fuerit auſus: atque agnoſcetis denique, non me tempus malè collocaturum, aut in devia à rectô Regioque ſolidioris Eruditionis tramite itinera Vos me fore ſeducturum, quodſi & in poſterum quoque aliquam literarii mei otii partem hujusmodi curis conſecravero, & in Scriptis meis ac Prælectionibus publicis æquè ac privatis utrumque Studium, ubi id ſcitu neceſſe, ubi utile, ubi & jucundum viſum fuerit, commodè junxero. Hæc ſcilicet omnia intelligetis jam, Auditores, cùm dictô de Themate, & quidem primô locô, *de neceſſariô*, & ſecundô, *de genuinô Critices cum prudentiâ Juris publici nexu* per breve tempus jamjam verba facturo aures præbebitis faciles, animos faventes. Ad ea verò protinus excitanda in Vobis cùm vel ſolum ſermonis mei argumentum aptum ſit ſatis ſuperque, hinc ulteriori benevolentiæ, quam vocant, captatione, precibusque & obſecrationibus lubens ſuperſedeo, & ad rem ipſam potius me ſtatim accingo. Indicabitis autem, Auditores; hæc noſcendi aviditatem in me audiendò patientiâ, adprobationem Veſtrô ſilentiô.

PROPOSITIO.

CAPUT I. de NECESSARIO NEXU STUDII CRITICI CUM PRUDENTIA JURIS PUBLICI.

§. I. Definitio *Artis Criticæ.*

Ars Critica, *(b)* Auditores, eſt illa ſcientia, quæ circa Linguas, Verba ſtylumque verſatur, ita, ut de illis, non verò de re ipſâ illiusve veritate judicet. Cum

(a) Nomen enim ab eo accipit, quod ejus ope *judicemus* de Verbis, & ſtylo &c. Jo. CLERICUS *in Art. Critic. Præf. Sect. I. §. I. p. m. 1.*

(b) Inter Scriptores Artis Criticæ Studioſis commendanda eſt præcipuè Commentatio CHRISTOPHORI AUGUST HEUMANNI, præmiſſa ejusdem *Parergis Criticis* Jenæ 1712. in 8. editis, ubi ſumma ſcientiæ hujus Capita ſuccinctè quidem, at nervoſè atque erudit tèrperactat.

Cùm autem varient admodum objecta, circà quæ Judicium Criticum occupari existimatur communiter, dum ex. gr. mox de authentiâ, mox de interpolatione, mox de ætate, mox de Autore Libri cujusdam aliisve quæritur; hinc pronô indè fluit alveô, esse quoque diversas & multiplices Criticorum partes & officia, atque amplos esse limites, quos intrà regnare, quos intrà curare, ne quid detrimenti Orbis literatus capiat, iis est concessum. Est itaque jam nostrum, instituere finium regundorum judicium, atque definire, usque quò in Orbem Criticorum exspatiari Consultis Juris publici Germanici sit impune, & sit honestum, & sit utile atque necessarium. §. II. *Criticorum* Officia *sunt multiplicia.*

Est autem, Auditores, Criticorum *primò*, (*a*) inquirere in indolem atque naturam Linguarum, ut, quis sit ejus, de quâ quæritur, nostrâ tempestate status, & quid ejus genius nostris secum ferat temporibus, non solùm probè teneant, verum &, quomodo per singula Secula & ætates comparatum cum eâ fuerit, non ignorent, denique &, quid eidem, tùm in universum, tum in istâ vel istâ Epochâ in specie conveniat, vel repugnet, in numeratô habeant, cùm argumenta fortissima haud raro inde petantur. Ex. gr. Si de authentiâ libri Controversiam oriri contingit, Criticæ artis regulis probè instructus, si genio Linguæ Scriptura conveniat, cæteris paribus pronunciabit omninò pro ingenuitate, rejiciet verò eandem vel solô hoc criteriô motus, si nimium quantum ab indole Linguæ recedere eam deprehendet. §. III. 1. *Inquirere in* indolem & naturam Linguarum.

Jam verò & hæc suum in prudentiâ Juris publici usum præstant egregium, ubi, uti & in omni Jure aliô, planè frequentes sunt casus hujusmodi, in quibus ad Etymologicum Studium, & notiam naturæ Linguarum confugiendum nobis est, veluti, cùm quanam Linguâ hæc vel illa Lex, hic vel ille Codicillus & Diploma primitus fuerit conscriptum, pro certô non constat, interest tamen vel maximè, ut sciatur, ubi sanè, aliis circumstantiis, ut in oppositam concedamus sententiam, haud suadentibus, vel ex solô, & secundum solum hoc criterium judicium erit formandum. §. IV. Applicatio *ad Jus publicum.*

Sit nobis locô Exempli Lex Germaniæ Fundamentalis, Aurea Bulla, de quâ sanè, ut apparebit inferius, (*b*) non otiose quæritur: §. V. Exemplum *Aureæ Bullæ.*

(*a*) Heumann *l. c.* §. 5, *p. m.* 9.
(*b*) §. XXX.

Textusne Latinus, anne verò Germanicus pro authenticô sit reputandus, & uter horum alteri sit præferendus? Hîc verò Criticæ qui gnarus est Scientiæ, facilè Latino palmam tribuet, cùm ipsi Germanicæ Linguæ indoli omnibus ævis atque Seculis usitatæ repugnet Textus Germanicus, & sæpè nullum, sæpè mancum, sæpè depravatum, sæpè planè contrarium aliis Imperii tùm temporis conditis Legibus atque Observantiæ Imperii eum continere quivis perspiciat, qui vel obiter tantum eundem unquam inspexit.

§. VI. 2. *Scrutari* Origines Vocum & Adagiorum.

Secundum Criticorum officium dicunt esse hoc, (*a*) ut scrutentur Origines atque Natales vel vocum singularium, vel etiam dicteriotum, Paræmiarum & Proverbiorum, quando scilicet Historiâ hîc destituimur, & non, nisi ex judiciô atque ratiociniô Criticô res dependet. Nec verò hîc eorum circà hoc Caput munus subsistere censendum est, sed & est eorum, verum vocis vel adagii sensum elicere atque eruere & quid in recessu ea, idve habeat, exponere.

§. VII. Applicatio *ad Jus publicum.*

Hac autem scientiâ instructum esse debere Doctorem Juris publici indè satis patere arbitramur, quod in arduis, maximique momenti Quæstionibus atque Controversiis, Prætensionibus Illustribus, & Deductionibus, quas vocant, immò & in argumentis theoriam respicientibus indè sæpius robusta satis momenta depromantur.

§. VIII. Exempla *Vox Marechalli.*

Cujus rei innumera cùm clare liceret specimina, interque ea domestica, & recentiora quidem, ex notissimis super Archi-Vexilliferi S. Rom. Germanici Imperii munere litibus, aliud tamen, idemque itidem novissimum (*b*) & priori affine malumus seligere: Scilicet cùm de munere supremi Stabulorum Præfecti tanquam Archi-Officiô quodam in Potentissimum Hannoveranum Electorem conferendô modernis in Comitiis nuper demum adhuc agitarentur consilia, & confertentur sententiæ, atque, id ne fieret, Saxoniæ Elector Potentissimus intercederet, Archi-Mareschalli Imperii, quô Is gaudet, muneri annexam esse Stabulorum curam obtendens, inter alia quoque (*c*) hoc in argumentô Suæ causæ præsidium haud leve quæsivit, quod ipsum Mareschalli vocabulum origetenus Stabulorum Præfectus

(*a*) HEUMANN. *l. c.*

(*b*) Ubi, sibi velit vox: Sturmfahne! &c. variè disputatum fuit. *Vid.* ipsa Acta apud THUCELIUM *in Elect. Jur. Publ.*

(*c*) *Communicatis*, ut vocant, *Ratisbonensibus*, *Novellisque* publicis testibus.

ctum apud Germanos ſemper denotaverit. Quæ verò ex Dicteriorum & Proverbiorum indagatione Criticâ in doctrinam Juris, etiam publici, reſultet utilitas, Illuſtris Gieſſenſium quondam Cancellarius, incomparabilis HERTIUS, (*a*) aliique (*b*) qui in Brocardica Juris publici (nam & hæc hûc pertinent,) commentati ſunt, integris Diſſertationibus ipſô factô comprobarunt.

De Adagiis remiſſivè.

Critici muneris *Tertia*, (*c*) eaque planè neceſſaria atque præſtantiſſima pars hæc eſt, ut obſcurius vel ambiguè poſitorum verborum phraſiumque, aut integrorum locorum atque Scriptorum adæquarum ſenſum nobis ſuppediter, & quæcunque talia commodè interpretandi Regulas monſtret, adeoque de verô Autoris ſenſu ſecuros nos reddat, quæ ipſa Critices pars ſpecialis Hermenevticæ artis nomine efferre amant Scriptores.

§. IX. 3. *Interpretari* obſcura.

Hac verò dexteritate, hac ſcientiâ qui carere poterunt JCti, quorum non eſt verba tantùm Legum tenere, verùm &c, & præcipuè quidem vim earum atque poteſtatem, & qui in ſpecie carere eâ poterunt publici Juris noſtri Doctores atque Conſulti, cùm & ipſæ Imperii Leges atque Conſtitutiones, præſertim antiquiores ſæpius adeò ſint obſcuræ, ut divinatrice Criticorum virgulâ non adhibitâ in ſenſu eliciendô operam oleamque tempusque & curas eum perdere ſit neceſſe, quisquis is ſit, qui hoc ſuſcipiat, & quantocunque Ingenii atque Eruditionis flore is præ aliis gaudeat: cùm & porrò ita exulcerata ſint hæc noſtra tempora, fex & ſentina Seculorum, ut nihil tàm ſanctè caveri, nihil tàm circumſpectè poni, nihilque tàm clarè poſſit edici, quin dentur homunciones, (publici Juris Conſultos ſe mentiri non erubeſcunt,) qui nodum in ſcirpo quærere, ſumma imis miſcere, & quascunque Imperii Sanctiones ad maleſani ſui cerebelli normam redigere & tractare conentur, adeò, ut ad Analogiam dicti Ciceroniani: quod nihil ſit tàm abſurdum quin id ipſum dicatur ab aliquo Philoſopho, ingemiſcere nobis liceat: nihil tàm clarè

§. X. Applicatio *ad Jus publicum.*

(*a*) In *Diſſertationibus*, queis impoſuit Titulum: *Epidipnides Paræmiarum Juris privati & publici Germanicarum.* Gieſſæ. 1699. 4. & *Epidipnides Paræmiarum Juris Germanicarum.* Gieſſæ. 1710. 4.

(*b*) Ex. gr. Ill. Dn. CHRISTIANUS THOMASIUS *in Diſſertatione de Brocardico: quæ ſunt in territoriô, præſumuntur eſſe de territoriô.* Halæ. 1709. 4.

(*c*) HEUMANN. *l. c.*

clarè in Imperii Legibus posse poni, quin evertatur à quodam, qui publici Juris Consultus vult videri, vult haberi.

§. XI. Exemplum.

Cujus veritatis testimonia cum prostent infinita, adeoque cuivis Corinthum hîc adire liceat, ne ex odiô certarum Personarum in medium protulisse nos ista quis existimet, transeant; addimus tamen prioris generis exemplum è plurimis unicum, iterum ex Aureâ Bullâ decerptum, quando scilicet Palatinus Elector Serenissimus in eâdem (a) audit Imperii Vicarius partibus Rheni, Sueviæ & in Jure Franconicô, ad quem locum, utut plurium Virorum doctissimorum Sententiæ atque conjecturæ extent, à nullô tamen horum ita luce hactenus fuit donatus, quin vel obscuritas remaneret, vel conjecturis nimium quantum levibus superstitueretur explicatio, vel Antiquitatibus, fidei Historicæ, atque Observantiæ Imperii manifestè repugnaret, cùm tamen Criticô tantum, qui per medium profundum ire haud recuset, locus ille indigere nobis videatur.

de Vicariatu Electoris Palatini.

§. XII. *Indicare stylum.*

Quartò & id incumbit Critico, (b) Auditores, ut indicet stylum vel certi generis hominum & Sectarum, vel certorum individuorum, & ut, prout is secundum diversas ætates diversam quoque formam induerit, probe distinguere sciat. Et in specie hîc demonstrabit Criticus, quænam verba phrasesque & loquendi formulæ temporibus singulis usu frequentatæ, & quâ ratione modoque integri Libri & Diplomata scribi tùm consueverint.

§. XIII. Applicatio *ad Ius publicum.*

Jam verò, si non omnem penitus artis Diplomaticæ in prudentiâ Juris publici usum tollas, cùm eadem ars quoad isthoc Caput merè sit Critica, nec hujus insignem in eadem utilitatem ire poteris inficias. Immo vix est, ut præsumamus, quenquam tam obesæ naris fore, ut in sententiam hanc nostram pedibus ultrò concedere respuat. Testantur sanè tot Germaniæ nostræ bella Diplomatica, quorum integrum Catalogum & Historiam nuper demum magno cum Eruditionis & multiplicis lectionis adparatu exposuit Ill. Halensium JCtus Jo. PETRUS à LUDEWIG; (c) Testantur sanè, inquam, ista bella, sæpius actum, conclamatum atque desperatum planè futurum fuisse integris de Rebuspublicis, quodsi Criticos ii non reperiissent, qui causam eorum ultimum ferè trahentem Spiritum integritati

(a) *Capitulô V. §. 1.*
(b) HEUMANN. *l. c. pag. 10.*
(c) *In præf. ad Relinqu. MSStorum, à §. 16. ad §. 33. p. m. 36. 74.*

gritati reddidissent, & Hannibalem portis Romæ jamjam imminentem velut alteri quidam Fabii, non quidem cunctando, sed scribendo restituissent.

§. XIV. Exemplum *Lindaviense Diploma.*

Exempla si poscitis, auditores, recolite, quantis animorum motibus agitata fuerit Lindaviensis lis illa Diplomatica ad octoginta usque annos protracta, & fortè adhuc gliscens sub favillâ incendium; nolo tamen, cum omnium nostrorum oculis adhuc obversentur ejus Acta, cum & ipsi Vos, Illustres Domini JCti atque Excellentissimi Domini Philosophi manus hîc strenuè conseruerritis, nolo hinc, inquam, in his recoquentis tempus insumere, horamque valde ruentem fallere. Adeant, qui rerum ignari sunt amœbeas HEIDERI, WAGNERECKII, CONRINGII, BALLUZII, FÜRSTEMBERGII, RASSLERI, SAGITTARII, TENZELII atque WEGELINI Epistolas, Dissertationes, Tractatus & Volumina, (*a*) adeant, & convicti de veritate nostrorum dictorum mox recedent.

§. XV. 5. *Demonstrare* Spuria.

Quintò loco & id quoque muneris est Critici, (*b*) ex recensitis partim hactenus, partim & ex aliis Criteriis demonstrare, utrum hic vel ille Codicillus & Diploma atque Constitutio sit authentica, sit genuina, anne verò suppositicia, spuria atque confecta?

§. XVI. Applicatio *ad Ius publicum.*

Habere autem & hîc opus Critico publicum Jus nostrum Ejusque prudentiam, iterum in propatulo est positum, cùm & ipsarum Legum Imperii, præsertim antiquiorum splendidis sub Titulis venditentur plures Constitutiones, quæ notam suppositionis & censuram Critici haud effugiunt, & quæ vix Seculo antè, immò & vix mense ante, quàm typis eæ ad decipiendos incautos exprimerentur, enatæ sunt in cerebello Impostorum sive doctorum sive indoctorum licet enim hîc ad Analogiam Horatii canere.

Fingimus indocti doctique Diplomata passim.

§. XVII. Exempla.

Sed pergamus ad Exempla, quæ inter fictorum, quod apertè constet, Diplomatum, vero tamen propê similium, messis haud adeò larga est, quia illâ ipsâ de causâ doctis quoque Viris se insinuant, magnaque vi animi sæpè eorum ab his patrocinium suscipitur. Nuper tamen demùm III. Dn. à LUDEWIG pro tali Diplomatum eruditè fictorum fabro se publicis in Scriptis haberi atque accusari

(*a*) De quibus fusius agit III. Dn. à LUDEWIG *l. c.* §. *23. p. m. 55.*
(*b*) HEUMANN *l. c. pag. 11.*

cusari literati Orbis Proceribus est conquestus, (*a*) cui verò suas res tutandas nos relinquimus,

Cum nostrum non sit tantas componere lites.

Ecquis verò illorum numerum inire audeat, quæ νοθείας atque suppositionis non arguuntur solum, sed & aperte convincuntur Privilegiorum & Diplomatum? Exemplum tamen ex more dabimus unicum, idque integrum, cùm ita lepidè, dicam & stolidè id sit confictum, & à misero quodam Monacho confarcinarum, ut Catone severior sis oportet, quodsi ad recensionem somniorum tàm suavium, & commentorum tàm futilium subridere recuses. Arrigite ergò aures, Auditores, & percipite C. Julii CÆSARIS, Romani Orbis moderatoris festivum Diploma: (*b*) *Nos Julius Imperator, nos Cæsar & Cultor Deorum, nos Supremus terræ Imperialis Augustus, nos Sustentator Orbis universi. Plagæ Orientalis Terraquæ suæ Incolis Romanam veniam & pacem. Vobis mandamus per nostrum Triumphum, quod Vos illi præcelso Senatori avunculo Parentis, quoniam nos eidem & suis hæredibus suæque domûs descendentibus donavimus vos fœdatariam possessionem perpetuò tuendam, sibi & suis Posteris in perpetuum relinquentes, quod nullam potestatem super eos statuere debemus, nos eis & dictis Successoribus suis largimur omnes utilitates terræ Orientalis memoratæ. Insuper nos eundem avunculum nostrum & omnes ejus Successores assumimus Consiliarium in secretissimum Consilium Romanorum, totaliter, quod deinceps nullum perpetuum negotium, sive causa fieri debeat suo sine scitu. Datum Romæ, Capitalis Mundi, die Veneris, Regni nostri Anno primo, & exactionis duri Annô primô.* Eccur verò immoramur hisce, quæ, pro genuinis qui agnoscit, helleboro & nasturtio habet opus, & quæ Caroli IV. Imperatoris tempestate, eaque barbarâ, jam pro nugis plusquam puerilibus ab emunctæ naris Viro (*c*) fuere declarata publi-

C. Iul. Cæsaris Diploma.

(*a*) *l. c. §. 3. p. m. 69.* Cui bello ansam dedisse Ducatum, ex mente III. D. à LUDEWIG, Brandenburgicum, nemo non ignorat.

(*b*) Quod & sistit Dn. LÜNIGIUS in des Reichs *Archivs Continuat.* vierdt. Forsetz. 1. Absatz. *p. m. 1.* nùm adhibitô judiciô a. i. edixerunt.

(*c*) LAURENTIO VALLA, Criticorum superioris ævi Principe *in Epistolâ ad Carolum IV. Imp.* ubi verbis ἐμφατικωτάτοις id exagitat.

publicè. Jungat tamen huic, cui volupe est, alius Imperatoris Constantini M. scilicet, si Diis placet, Donationem Sylvestro I. Romanorum Episcopo factam, cum quâ olim tàm pulchra, tàm venusta, tàm tota & secura ab omnibus Imperatorum in se juribus fortissimis sibi visa est Romanensis Ecclesia, quam verò à multo jam tempore, longe adhuc antè, quàm per B. Lutheri emendationem Religionis restitueretut & bonarum artium cultura, adeoque ipsius Romanensis Ecclesiæ Filii (*a*), qui & eruditione floruere, & qui polluere judicio, & quibus veritate nihil fuit prius nihil antiquius, nec ipsa Sanctæ Sedis prostitutio, fabulam, commentum, figmentum deprehenderunt, ita deprehensum pro tali pronuntiarunt, pronunciata sua defenderunt, talemque Constitutionem istam ab omnibus haberi voluerunt, jusserunt, mandarunt. Jungat hunc Codicillum, inquam, cui volupe est, priori Cæsaris Diplomati, & omninò is gloriari poterit, habere se par nobile fratrum. Nos, cum alia dicenda restent, pedem promovemus, Auditores, qui & Legum suppositarum Specimina degustare gestiunt, remittentes ad Collectiones Legum Imperii Seculo superiori à GOLDASTO factas, quarum de fide dubiâ, querelas eruditorum qui ignorat, monoculum eum esse necesse est publici Juris Consultum vel Studiosum, carentem quippe altero prudentiæ Juris nostri publici lumine, literariâ historiâ.

§. XVIII. 6. *Indicare Glossemata.*

Sextum Critici Officium hoc est, (*b*) ut in clarissimâ luce ponat, annon ipse liber, ipsa Lex, ipsum Diploma integræ quidem sit fidei, atque absque dubio Autori, cujus nomen in fronte gerit, tribuendum, interpolatum tamen Glossematibus, quæ, sive malitiâ, sive imperitiâ, sive errore, impostoris, librarii & Scriptoris eò irrepserint.

§. XIX. Applicatio *ad Jus publicum.*

Decet verò & hîc vel maximè Juris publici Consultum agere Criticum, cum in oculos omnium, immò & eorum, qui nasum obesum haud habent, sæpe hæc non incurrant, saltem non primo statim intuitu, & quandoque contingat, ut à rerum non satis peritis ob Glossema tale integra Lex, Diploma integrum ejiciatur ut spurium, quod tamen sublato Glossemate pro genuinò agnoscent iidem ipsimet,

(*a*) Interque eos singulari Declamatione laudatus modò VALLA.
(*b*) HEUMANN *l. c.*

met, cùm & hac fraude plerumque utantur, centonibusque genuinorum adſuant falſa Diplomatum Legumque nebulones falſarii.

§. XX. Exemplum *in Aureæ Bullæ Cap. XI. §. ult.*

Gloſſema hujusmodi irrepſiſſe in Auream Bullam, quam iterum in rem præſentem vocare amamus, & quidem in Capitulum XI. communis omnium ad dictam Legem Commentatorum fert ſententia, quippe qui §. ejus ultimum cujus initium hoc eſt: Hanc autem Legem propter quædam dubia &c. pro adulterinô proclamare haud dubitarunt, in quô tamen præcipitanter eos agere, nec reperiiſſe hîc, non quod in fabâ pueri, ſed ſanum utique eſſe locum, integrosque ejus natales peculiari Diſſertatione aliquando comprobabimus.

§. XXI. *7. Indigitare & emendare mendoſa.*

Septimum Criticorum penſum eſt, (*a*) indigitare loca Scripti genuini, quæ in mendô cubant, & quâ ratione ea poſſint emendari ſive adjumento MSStorum Codicum, ſive & his deficientibus, immò & quandoque ſuppetente horum copiâ, ope Critici & pragmatici judicii.

§. XXII. Applicatio *ad Ius publicum.*

Hic verò continere me nequeo, quin optem atque peroptem, ut exſurgat demùm aliquis è tantô eorum numerô, publici Juris noſtri ſcientiam ſolidiorem qui crepant, exſurgat, & eò nervos intendat ſuos, ingenium ſuum & induſtriam, ut concinnum, adæquatum, emendatum, ordina tum publicorum Imperii Jutium corpus nobis exhibeat, Jus Imperii publicum ab incertitudine, quam vel ob ſolam erratorum incuriâ illapſorum multitudinem vix effugiet; ſuppleat omiſſa; exterminet ſuperflua, eliminet menda, in ordinem denique in omnia redigat; Immortale promerebitur nomen, gratias agent JCti, agent Judices, aget ipſa Juſtitia & Imperium univerſum & præcipuâ quâdam induſtriâ memoriam ejus ſervabit æternitati. Verum enim verò vereor ne

verba miſer fruſtra nil proficientia perdam.

Herculei labores molientem opus exſpectant; Augiæ quoddam ſtabulum venit expurgandum, alia multa, quæ ſudorem movent, exantlanda ſunt; & hæc omnia denique in te ſi receperis, tunc nec molam id inſtruit farinariam, nec patent ad id oppidò neceſſariorum Archivorum atque Tabulariorum Principalium aditus, nec denique & privatis, etſi facientibus hûc ſubſidiis literariis ii ſint inſtructi, communi publico ſerviendi hoc modô ulla intentio, ulla cupido, malumque potius poſt mortem ſuam ea

De-

(*a*) IDEM *ibid.*

Deferri in Vicum vendentem thus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Sed vel ista referre tædium creat atque indignationem movet.

§. XXIII. Exemplum.

Posceret institutum, ut & jam flosculos hujusmodi proferremus in medium; sed cùm & MAURITIUS, (*a*) & HOFFMANNUS, (*b*) aliique integros eorum fasciculos jam decerpserint, horum scrinia expilare, cùm & superfluum, & cùm molestum id nobis foret, unicum, quod aures titillare aptum est, subjicimus aus der Kayserl. Erklähr. wegen der Religion zu Augspurg. Tit. 12. §. penult. ubi in Editionibus omnibus legitur: Hiemit wollen wir dem Ungehorsam nichts abziehen / den die Kinder ihren Eltern schuldig / cùm quivis sanâ ratione præditus perspiciat, è diametro contrariam fuisse Imperatoris mentem.

ex Corpore Recessum Imperii.

§. XXIV. 8. *Subodorari* Lacunas.

Octavô locô & hic Critico labor incumbit, (*c*) ut subodoretur, annon in Textu Legis, vel in Diplomate &c. aliquid desit, & quomodo hæ lacunæ expleri debeant, scilicet ex MSStis, aut si planè hæc deficiant, neque etiam ex aliis locis sive Circumstantiis vel sensus eorum locorum possit restitui, ut saltem id monstret, quid & quantum desit.

§. XXV. Applicatio *ad Jus publicum.*

Indiget verò iterum & hic absque dubiô manu oculisque Criticis Imperii Recessuum atque Constitutionum Corpus nostrum, quippe in quô latuisse hactenus lacunas multas nemini JCtorum anteà observatas, satis jam apparet, tùm ex additis in novissimis Editionibus, tùm & ex editis ab III. Dn. DATTIO nostrate, (*d*) B. SCHILTERO, Consult. (*e*) Dn. MÜLLERO, (*f*) aliisque Legibus, Imperii ineditis quam plurimis, ad quæ & in ipsis editis Recessibus partim fuit provocatum.

§. XXVI. Exemplum.

Et latere hodieque adhuc alias hujusmodi Imperii Leges is mox animadvertet, qui ipsum Recessuum Corpus sedulâ lectione vol-

(*a*) *In Dissertat. de Recessib. Imper. th. 60.* inter EJUSD. *Opusc.* ab HERTIO edita *p. m. 132.*

(*b*) *De rat. interpret. LL. Imp. Rom. Germ. publ. Cap. 3. §. 9. p. m. 37. sq.*

(*c*) Prætermittit hoc, sed male, HEUMANNUS *l. c.*

(*d*) In egregiô Volumine *de Pace publicâ.*

(*e*) *In Institut. Jur. publ. Tomo II.*

(*f*) Im Reichs-Tags-Staat und *Theatrô.*

volvet atque revolvet, ubi & deprehendet adhuc Remissiones ad priores Constitutiones, quæ tamen cum Orbe eruditô nondum sunt communicatæ, quod, ut firmemus exemplo, proferimus Recessum Imperii Ratisbonensem de Anno 1541. in cujus §. 60. Recessus secundarii fit mentio, qui tamen hucusque dictô in Corpore non conspicitur.

§. XXVII. 9. *Discernere* Originale & Versiones.

Porrò & *Nonô* locò inter Officia Critici connumerandum & id præsertim est, (*a*) ut ostendat, quanam Linguâ originaliter Lex vel Liber quidam exaratus fuerit, adeoque, utrum exemplum, uter textus fontis, uter rivuli & copiæ locô sit habendus.

§. XXVIII. Applicatio *ad Ius publicum.*

Neque verò & hoc nullam in prudentiâ Juris publici utilitatem præstare censendum est, cùm & habeamus Leges, quæ nùm Latinô, num verò Germanicò idiomate sint conceptæ, contentionis serram hodieque semet inter reciprocant Doctores Juris publici: jam verò expedit, ut de veritate alterutrius sententiæ simus certiores, cùm, Latinum textum si inspicias, aliter, aliter &, si Germanicum consulas, statutum inveniatur, in rebus & causis, quæ in Jura Statuum, immò & totius Imperii nostri influunt, atque horum in præjudicium, admissâ oppositâ sententiâ. vergunt.

§. XXIX. Exemplum *Ipsa Aurea Bulla.*

Suprà dicere antevertimus, non otiosè quæri, quonam Idiomate Aurea Bulla sit congesta? utrum Latino? anne verò Germanico? Nostrum est, ostendere jam, quid sit ergò, quod ex hujus controversiæ, ut videtur, curiosæ tantùm evolutione & decisione pendeat. Scilicet, Latinus Textus quodsi est authenticus, ex. gr. Vicariatus Electoris Palatini pendet à Comitatu Palatinô, adeoque etiam demtâ illi Dignitate Electorali penes Palatinum Rheni Comitem remanet: Contra verò Germanicum præstare Textum si verum est, Vicarii S. Rom. Germanici Imperii in partibus Rheni, Sueviæ & in Jure Franconicô Dignitas muneri Electorali inhæret, adeoque in Electorem Bavarum translatum id fuisse, dicendum est; alia ut modò siccô pede prætereamus.

§. XXX. 10. *Dijudicare ætatem Libri vel Diplomatis.*

Est & Criticorum *decimò* (*b*) dispicere, quam ætatem Liber vel Diploma, de quô quæstio incidit, præ se ferat, & quô circiter tempore compositum id sit literisve mandatum; id quod, si sit Apographum tantùm, aut planè codex impressus, cujus de ætate sermo est,

(*a*) Licet & hoc omittat HEUMANNUS. *l. c.*

(*b*) HEUMANN. *l. c. p. m. 11.*

est, dignoscet Criticus, sive, quod hic idem, est, Diplomaticus, tum ex recensitis suprà Criteriis, scilicet ex indole & ætate Linguæ atque stylo, cùm ex aliis; MStum verò si sit, quô de quæritur, dijudicabit id præterea & ex Materia, & ex literis, earumque ductibus, atramento, numeris, Sigillo, aliisque, quæ minutiarum locô fortè haberet alius.

§. XXXI. *ad Jus publicum.*

Jam, si de Applicatione atque usu hujus partis Critices dubium Vos exerceat, Auditores, hanc responsionem capite. Testatissimum illud est, quod antè diximus, gravissimis litibus involvi haud ratò Germanici nostri Imperii Status & Respublicas per confecta & supposita Diplomata, sæpè tantà cum specie veri ex centum aliis concinnata, ut, quod carpas in re ipsâ, desideres in stylo, vellices in formulis, sugilles in aliis non supersit. Quid ergò? Confugiendum hîc erit tanquam ad aram sacramve anchorum, ad ipsum, qui pro originariô exemplô venditatur Codicillum, hîc deprehendendæ notæ suppositionis, hic figmenti convincendus, in salvô rem tuam collocare si volueris.

§. XXXII. Exemplum *Lindaviense Diploma.*

Ita plus quam mathematicè demonstravit CONRINGIUS, demonstravit WEGELINUS, demonstrarunt alii, quod, licet vel maximè in ipsis Diplomatis formulis nihil esset peccatum, sed rectè se haberent omnia, ex solâ tamen Authentici inspectione pluribus ex argumentis falsitatis possit damnari Lindaviensis Cœnobii prætensum Diploma. Ita, ut & Controversiæ de impressô Diplomate demus exemplum, quam de Expeditione Romanâ Constitutionem edidisse fertur Carolus Crassus, atque Commentariô integrô ipsâ Constitutione præstantiore illustravit MARQUARDUS FREHERUS, ad eam saltem ætatem non pertingere, maximam partem ex indiciis anteà tactis demonstrarunt plurimi.

§. XXXIII. II. *Detegere* Autores Pseudonymos vel Anonymos.

Denique & *undecimô* (*a*) locoque ultimô circà id quoque Criticum versatur Studium, ut quis librum vel Diploma nullum vel fictum Autoris Parentisque nomen in fronte gerens sit enixus, vel quô Autore atque Suasore in lucem id fuerit protrusum detractô glaucomate patefaciat & in apricô ponat.

§. XXXIV. Applicatio *ad Jus publicum.*

Equidem hæc cognitio intrà solam vanamque curiositatem & scientiam quandam subsistere, adeoque ad Jus publicum, saltem practicum, cum fructu traduci haud posse videtur. Verum enimverò

(*a*) DUMANN *l. c.*

verò non ita, Auditores, non ita ista res se habet: habet omninò aliquid præter vanam scientiam in Recessu! Refert scire, quis Legis vel Diplomatis Autoris nomen præ se haud gerentis lator sit, scilicet, ut inde concludamus, eò num & nos adhuc teneamur stare.

§. XXXV. Exemplum *Aureæ Bullæ Cap. XI. §. ult.*

Exemplum poscitis, Auditores? dabimus! Juvat hîc rursus in partes vocare allatum jam suprà famosum illum Aureæ Bullæ Capitulo XI. subjectum paragraphum, cujus de Conditore, num ipsemet Carolus IV. num verò Wenceslaus (horum enim alterum statuisse eum evincemus) eundem reliquis Aureæ Bullæ Constitutionibus addiderit, licet sit valdè obscurum, viridi tamen is adhuc est in observantia, eademque, fremant licet, qui authenticum esse negant pernegantque, ac reliquæ hujus Codicis Leges vi & autoritate hodieque pollere certum est & indubium.

§. XXXVI. Epilogus *Capitis.*

Et sic jam, Auditores, fines totius Regni Critici obambulavimus atque perlustravimus, vidimus, quam ea sint egregia, quam jucunda, quam amœna, quantamquetùm in omni eruditionis genere, tùm verò vel maximè in Imperii nostri publicorum Jurium prudentiâ utilitatem præstet, usum habeat ars Critica. At verò dicenda restant adhuc alia, quæ tamen, ut potest fieri, admodum paucis efferemus.

CAPUT II. de GENUINO NEXU STUDII CRITICI CUM PRUDENTIA JURIS PUBLICI.

Scilicet audivistis hactenus, Auditores, commendantes nos quam maximè operam JCtorum, publibi Juris nostri scientiæ solidiori, qui jungunt Studium Criticum: cùm verò nihil hîc æquè facilè contingere soleat, quam ut

Incidat in Scyllam, qui vult vitare Charybdim:

§. I. Transitio.

Hinc nostrarum partium omninò & id porrò esse existimamus, ut jam, quantum per angustos, queis circumsctibimur, temporis limites nobis erit integrum, per Compendium Vobis demonstremus, quâ demum ratione modoque prætervehere hos scopulos, has Scyllas hasque Charibdes vobis incumbat, & quomodo ergò se habeat & GENUINUS Studii Critici cum prudentiâ Juris publici nexus.

§. II. Contenta *Capitis.*

Nec verò id jam poscetis à me, Auditores, arbitror, ut quibus in casibus esse necessarium utilemque Studii Critici cum prudentiâ Juris publici nexum ántè exposuimus, quæ istis in singulis servandæ Vobis sint cautelæ, tenendæque Vobis sint Regulæ ordine jam exponamus, cùm.

Si nobis centum linguæ sint oraque centum,
dies tamen prius deficeret quam materia; nec id quoque nostrum

jam

jam esse existimamus, ut de vitiis Criticorum, quæ sanè sunt quam plurima, Catalogum modò texamus sistamusque Vobis; sufficiat tetigisse & commemorasse potiora, eaque ubi facilè cespitare, ubi labi sæpè contingit.

§. III. Cautela 1. *Ne ars Critica pro ipsâ Eruditione capiatur, sed pro medio ad eandem.*

Cavebitis ergò, Auditores, si qui sunt, quos sermo hic noster, quos Oratio hæc nostra de præstantissimô Critici Studii usu cum Jure publicô eo induxit, subsecivum tempus suum curis & observationibus hujusmodi, quam nihil aut malè agendo, ut malint terere atque consumere. Cavebitis, ne in ipsius Eruditionis solidæ penetralia abditosque recessus penetrasse Vos existimetis, Criticam si callueritis artem, Criticas ad unguem si renueritis Regulas; ita enim certissimè Vos expectabunt fata, quæ Cebes ille Thebanus, in Programmate, quô Actui huic solenni prælusit Magnificus Dominus Rector, communia Criticis esse rarus est, nempe in septum veræ solidæque Eruditionis nunquam ingrediemini. Via scilicet est Ars Critica, quâ manu quasi ducimur ad veritatem; semita est, quam qui prudenter calcant frequentes, rectò ad Parnassum tramite contendunt, & est medium, quò ad obtinendum finem, quò ad consequendam Eruditionem maximô cum emolumentô uti nobis est integrum, immò & eô uti oportet; ipsa tamen ipse finis non est, non est ipsa Eruditio. Quemadmodum autem eum, qui dum intrare Regiam gestit, in viâ tamen lutoque semper hæret, vel ipsô communi omnium animantium ratione præditorum sensu carere nemo non jure optimô maximô esset arbitraturus: ita &, qui solis in Regulis & arte Criticâ subsistere, eoque se immergere solùm voluerit, is sanè verum de verâ Eruditione conceptum sibi non format, is nunquam emerget.

§. IV. Cautela 2. *Ne Minutiis inhæreant, quæ artem Criticam tractant.*

Sed & de hoc valdè communi Criticorum malô atque morbô Vobis, ut caveatis, Auditores, estis monendi, ne scilicet qualibet ex muscâ elephantum, & velut ebrii quolibet ex stramine nescio quam pilam atque columnam Vobismet ipsi fingatis, clarius dicam, ne minutiis, quisquiliis, & quæ, sive scias, sive nescias, perinde est, immoremini. Eam enim viam, istud iter si inibitis perversum sanè inibitis, Ipsique Vos ipsos naso suspendetis adunco, omnemque Vestram illam scientiam, tantum abest, ut pro Eruditione, ut ne pro curiositate quidem, nisi vanissima, nisi futilissima levissimaque habituri sint omnes, queis habitat mens sana in corpore sano. Et sic occinendum Vobis foret Lipsianum (a) illud: Græcorum iste morbus

(a) *de Brevitat. vitæ. p. m. 508, 509.*

bus fuit, quærere, quem numerum remigum Ulysses habuisset: prior scripta esset Ilias an Odyssea, præterea, an ejusdem esset auctoris: alia deinceps hujus notæ: quæ sive contineas, nihil tacitam conscientiam juvant, sive proferas, non doctior videberis sed molestior. &c. Ecce Romanos, (ecce Germanos) quoque invasit inane Studium supervacua discendi! Et sic doctore CHRISTOPHORO MATHANASIO quodam vobis foret opus, qui multô sale perfricando istud Vestrum supercilium, istud cerebellum, ridendoque Vestras Vobis ineptias exponeret, & intra oleas Vos reduceret.

§. V. Cautela 3. *Ut caveant sibi Critici à pedanticô quodam supercilio.*

Denique & de alterâ Pædantismi Critici specie Vobis cavebitis Auditores, inani & stolidâ illâ multorum Criticorum superbiâ, qui solis sibi micas solis esse & super astra planè evolasse se suam per scientiam existimant, ubi discunt.

\- - - - quanta sub nocte jacerent.
Nostra dies - - - - - - -
Sub pedibusque vident nubes & sidera Daphnis.

Etenim est plerumque superbum animal & fastuosum genus hominum, Critici elogiô qui superbiunt, qui, cùm in scriptis antiquiorum recensendis deploratum, ut loquuntur, cujusdam Comœdi vel Tragœdi locum in integrum restituerunt, aut etiam in pejus mutarunt, videntur sibi ægrum valetudinis conclamatæ morbis è faucibus eripuisse ac vitæ & sanitati reddidisse, (a) ita, ut præ tripudio Veritates hasce suas sanguine quoque suô obsignare quandoque iis pulchrum esset. Immô, cùm leve eis videatur, sum a sibi Dictatoriâ in Republicâ literariâ autoritate quadam, ac veluti cùm Æolus in clauso ventorum carcere regnat, strepitum ciere atque intonare illud: ita ego lego, ita legi jubeo, meô periculo ita legas &c. subinde egregiâ hac divisque devovendâ clausulâ Lectiones suas munitunt ab eorum impetu, quibus metum hæc injiciunt: Insanit, quicunque mecum non ita legit, & quæ sunt alia, quæ piget vel adducere, cùm nemo sit tam stupidus, quin videat, lernarum in contubernio prognata fuisse ejus generis dicteria, eorumque malesanos Autores.

§. VI. Coclusio.

Ac jam vel tandem iterum, Auditores, canendum est receptui, convasandâ nobis sunt vasa retesque, votisque & precibus sermo hic noster est finiendus.

Primas

(a) Vide locum LUDOVICI MOLINÆI *in Caracter. Morum. p. 168.* apud HEUMANNUM *l. c. §. 7. p. m. 14.*

Primas TIBI partes debeo, ô æterne Deus, benignissime Pater. Infinita fuit TUA in me conducendô nullô non tempore bonitas: Eximia fuit TUA gratia, indulgendo mihi nil talia merito innumeras & fortunæ & mentis corporisque dotes atque dona: Singulare est præsertim hæc præsens mearum rerum conditio, hic meus Status TUÆ opus Providentiæ: agnosco, fateor, veneror! Quid ergo? Eripe me mihi, TIBIque mancipa totum, ita demùm felix, ita beatus ero. Et si ulterius immensam TUAM clementiam precibus impetere fas est, fac, quæso, ut quas concessisti mihi hactenus incorruptas animi corporisque vires, integras & porrò sentiam in obeundo meô hoc munere gravissimô: fac, ut & mihi hac in Spartâ periculosâ constituto nihil sit prius, nihil antiquius bonô publicô & salute Reipublicæ, normatâ ad amussim omnium Legum supremæ, TUÆ, Venerandum Numen, Voluntatis utique Sanctissimæ. Denique & hoc fac, bone Pater, ut & meis ex scholis prodeant in posterum homines, qui non, nisi TUAM promovere gloriam gestiant, TUIS servire cupiant, publico prodesse anhelent! PRECES *ad* DEUM.

Ad TE jam devolvor, qui Secundum in his terris à Numine tenes locum, Potentissime PRINCEPS, Clementissime Domine. Da, quæso, Serenissime PRINCEPS, Servo TUO submississimo, ut, quæ degustanda mihi præbuisti pluries summæ gratiæ & favoris TUI Principalis luculenta plane Specimina, sacrô hic silentio tegam atque venerer, atque potius, quas infucata in Principem pietas, & qui non potest non omnibus iis, queis VOTUM I. *pro* PRINCIPE.

de meliore lutô finxit præcordia Titan,

insitus esse igneus in Patriæ Patrem indulgentissimum amor exprimit & suppeditat, preces fundam, Vota nuncupem. Deus TE servet, Serenissime PRINCEPS, & concedat, lætus ut intuearis iterum aliquando Nati Natos, & qui nascentur ab Illis, & quamdiu inter mortales eris, neminem TUORUM mortalem esse sentias, sed productis in immensum Virtutum opumque TUARUM laudibus cum Serenissimâ GENTE TUA universa multâ posteritate crescas atque vivas!

TE quoque Deus benigninssimè servet, Serenissime PRINCEPS, avitarum ditionum harum dignissime Hæres, Domine pariter Clementissime, &, Quæ divinitis TIBI fuit juncta, Serenissimam CONJUGEM, Principem REGIAM, Seculi delicium, Spem patriæ unicam! Quot per Hyblæos colles volitarut olim examina, 2. pro PRINCPE HÆREDITARIO.

tot felicitates VESTRA cingant tempora, quod frondes texere quondam Ceraunia, tot VOBIS à DEO obveniant æternùm duratura munera: & præsertim, quæ votorum Summa est omnium, Summus in Cœlis DEUS TE, Serenissime PRINCEPS, semper nobis præstet similem Serenissimis TUIS MAJORIBUS, similem Potentissimo Domino PARENTI TUO, similem TIBImet IPSI, qualis felicer fuisti nobis hactenus; & præstet TE nobis ab excessu Fortissimi nostri Davidis, quem quam diutissimè Numen avertat, Salomonem suavissimum atque prudentissimum.

3. pro ADMINISTRIS PRINCIPIS.

Servet & VOS DEUS, qui Atlantes estis Patriæ, & venitis in partem curarum, quas pro nobis & felicitate nostrâ gerit Serenissimus. Sint & porrò fortunata VESTRA ista Consilia, faustisque rerum successibus ad invidiam usque coronata. Sint verò & VESTRÆ sollicitudines ulterius quoque directæ in hanc Academiam, & cum primis integram nobis linquatis libertatem, non effrenem quandam nullisve planè limitibus circumscriptam, quæ communis esse solet multis lasciviente hoc in omnem proterviam propendente Seculô, sed innoxiam, Academicam, evehendis Disciplinis aptam atque neneceſſariam, ut, quæ velis, (volemus autem semper licita) sentire, quæ sentis, dicere, præjudicatas opiniones, superstitiosum receptarum sententiarum cultum, & quæ sunt hujus generis alia, possum dare, verbo dicam, ut emergere liceat. Ita & nos de eô erimus solliciti, ut probemus ipsô factò, melius ita Reipublicæ consuli, excitari ita præstantissima ingenia, provehi ita solidam Eruditionem & Scientias.

4. pro PROFESSORIBUS Academiæ.

DEUS quoque & VOS servet, Academiæ nostræ Patres conscripti, Excellentissimi Domini Professores, quos magnâ ex parte Præceptores veneror, Patronos omnes. Concedat VOBIS Idem Numen benignissimum fluentem ad Vota felicitatem omnigenam, vitam longævam, sanitatem inconcussam, gloriam promeritam. Et cùm VESTRO Exc. Dn. JCti ex Ordine inclyto plerique jam sint veterani copiarum ductores in castris literariis, rogatos Vos volo, quam possum, enixissimè, ut me quoque noviter in Ordinem VESTRAM allectum, sicubi deprehenderitis aberrare reducatis; sicubi cespitare, confirmetis; sicubi veritatem tueri, defendatis: habebitis vicissim in obeundis laboribus, socium indefessum; in præstandis obsequiis Cultorem venerabundum; in exhibendis Officiis amicum integerrimum.

Deni-

Denique & VOS, Auditores reliqui, Commilitones optimi, adimplete læti ſpem Patriæ, Voluntatem Parentum, deſiderium Præceptorum; Spem facite ſubſecutorum aliquando feliciorum temporum; Decurrite ſtrenuè in ingreſſo ſtudiorum ſtadio, & ad Eruditionis ſolidæ palmam aſſequendam citatô gradu mecum contendite alacres; ubi pariter certi eſtis, pergite mecum; ubi pariter hæſitatis, quærite mecum; ubi pariter errores admiſſos agnoſcitis, revertimini mecum; & ubi pariter alios à ſcopo abludere cernitis, eos revocate mecum. Ita Regiam ad veræ Eruditionis culmen viam ingrediemur; ita demùm indultas nobis à Deo dotes animi rectè collocabimus; ita non intermorituram noſtri nominis gloriam aſportabimus. ADHORTATIO ad AUDITORES.

Vivant ergò, iterumque vivant Sereniſſimi noſtri PRINCIPES! & florebit Patria. Vivant EORUM ADMINISTRI Illuſtriſſimi! & florebit Academia. Vivant hujus Excellentiſſimi PROFESSORES! & florebit Eruditio. Sequemini hos, Auditores, & vivetis in æternum:

Vivitur ingeniô, cætera mortis erunt!

D I X I.

Anhang

XXXII.

DISSERTATIO

DE

JURE DETRACTUS,

Von der

Nachſteuer oder dem Abzugs-Recht.

PRÆSIDE

DN. JOHANNE THEODORO SHEFFER, U.J.D,

COMITE PALATINO CAESAREO PROF. JUR. PUBL. ORD. reliq.

Pro Licentia defenſa ab AUCTORE

JOHANNE NICOLAO CRONNAGEL, *Dinckelsbühl.* Supremâ quod hic eſt, Dicaſterii Würtembergici Advocato,

Tubingæ, 1730.

 B. L. S.